

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 174. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415584417664/facsimile.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

In principio erat error, et error erat apud Lutherum, et Lutherus erat error, hic erat in principio apud Lutherum, omnia per ipsum destructa sunt, et sine ipso destructum est nichil quod destructum est, In ipso mors erat, et mors erat tenebre hominum, et tenebre in luce tenebrescent, et vita eas non apprehendit, Erat 5 homo missus a diabolo, cui nomen Ioannes Huss, Hic venit ad testificandum, vt testaretur de tenebris, vt omnes errarent per illum, Non erat ille tenebre sed missus erat vt testaretur de tenebris, Erant tenebre ille tenebre vere, que obscurant omnem hominem venientem in suum mundum, In mundo erat, et mundus 10 per ipsum destructus est, et mundus eum non cognouit, In aliena venit, et alieni qui ab omni vento doctrine mouentur, eum receperunt, Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios diaboli fieri, iis qui credidissent in eum, Sed non tantum ex sanguinibus, et ex voluntate carnis, et ex voluntate viri, sed [23 a] 15 ex diabolo nati sunt, Et error eius heresis facta est, et habitauit cum illis, et vidimus heresim eius heresim quasi a cacodemone spiratam, plenam mendacii et impietatis,

Te Lutherum damnamus, te hereticum confitemur.
Te errorum patrem, omnis terra detestatur. 20
Tibi omnes angeli, tibi celi et vniuerse potestates
Tibi clerici et laici incessabili voce proclamant,
Totus, totus, totus blasphemus in deum Sabaoth
Pleni sunt celi et terra, horrende miserie tue
Te odiosus tyrannorum gladius 25
Te hypocritarum detestabilis numerus
Te fornicatorum adulterinus laudat exercitus,
Te per orbem terrarum sancta detestatur ecclesia
Patrem immense immanitatis,
Venenosum tuum dictum, et perniciosum documentum, 30
falsum quoque per te accipiunt spiritum,
Tu rex inique secte,
Tu patris Antichristi sempiternus es filius,
Tu ad perdendos homines non horruisti religionis habitum,
Tu destructo veritatis fundamento, aperuisti sequacibus tuis por- 35
tas inferorum
[23 b] Tu ad Luciferi dexteram sedes in perpetuis penis